



The Holy See

PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE **PURPURATA SANGUINE*** SANCTUS IOANNES DE BRÉBEUF ET
SOCIIS MARTYRIBUS DECLARANTUR PRINCIPALES PATRONI PROVINCIAE CANADIAE INFERIORIS ET
SECUNDARIIS PATRONI PROVINCiarum GALLiae ATLANTICAE, GALLiae MEDITERRANEEAE, GALLiae
SEPTEMTRIONALIS AC PARISIENSIS SOCIETATIS IESU.

Ad perpetuam rei memoriam. — Purpurata sanguine lectissimorum Evangelii paeconum, Sancti Ioannis de Brébeuf eiusque sodalium e Societate Iesu, terra Canadiensis in Fide recens inventa est salubriter confirmata et, ad hanc quod attinet, paeclaros auctus accepit; atque religiosa familia, quam martyrio suo illustrarunt, ab iis non modice est provecta et etiamnum provehitur, siquidem strenui viri illi, pie exorati, supernis muniberibus eam locupletare non desinunt, fratres ad imitationem sui provocant et in opus missionale accendent. Hac de causa Societas Iesu, veteris retinens instituti, provinciis suis, quibus peculiaris ratio cum egregiis illis Christi athletis intercedit, eosdem constituere cupit caelestes Patronos, id est imprimis Canadiae Inferioris ac deinde Galliae, quae quidem eos progenuit. Precibus igitur hac de re Nobis adhibitis libenti animo obsecundantes, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctum Ioannem de Brébeuf ac Socios Martyres *principales apud Deum Patronos* Societatis Iesu provinciae Canadiae Inferioris, simulque eosdem Sanctos Martyres secundarios Patronos provinciarum Galliae Atlanticae, Galliae Mediterraneae, Galliae Septemtrionalis, et Parisiensis constituimus ae declaramus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis et secundariis religiosorum coetuum Patronis competunt, additaque facultate eorumdem Caelitum festum quotannis die XXVI mensis Septembris, ritu I classis in provincia Canadiae Inferioris, II vero classis in memoratis Galliae provinciis ad normam n. 46 c) et d) Codicis Rubricarum celebrandi. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sieque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xv mensis Octobris, anno

MCMLXIII, *Pontificatus Nostri primo.*

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

*A.A.S., vol. LVI (1964), n. 5, pp. 297-298

© Copyright 1963 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana